



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1866**

Synopsis Tomi Tertii De Actis Sanctorum Octobris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

# SYNOPSIS

## TOMI TERTII

# DE ACTIS SANCTORUM

## OCTOBRIS.

**H**ic tomus, totius Operis quadragesimus nonus, dies quintum, sextum ac septimum mensis Octobris complexus, Sanctos Beatosque octoginta et unum nominatim recenset, de quibus in quatuor classes partitis eo, quo occurrunt, dierum ordine pauca brevissime hic præmittimus.

### EX STATU ECCLESIASTICO.

Qui die v primus est *Thraseas* episcopus, sæculo secundo senescente Smyrnæ potius, quam Eumeniæ, martyrio coronatum fuisse, existimamus. De *Divitiano*, Suessionensi in Gallia episcopo et confessore, non nisi pauca nota sunt ex Flodoardi Historia Remensi. *Marcellini* Ravennatum antistitis sedis tempus et ordinem, vulgatamque traditionem de Spiritu Sancto in aliquot primorum ejusdem sedis præsulum electionibus apparere solito discussimus. *Apollinaris* Valentiniensis Segalaunorum episcopi Acta, a cœvo conscripta, e veteri Ms. edimus, Commentario prævio illustrata. *Hieronymum*, Nivernensem pariter in Gallia præsulem, sub Carolo Magno, non sub Carolo Calvo, sedisse, probamus. Duos quoque Hispaniæ episcopos, *Froilanum* Legionensem, et *Attilanum* Zamorensem, damus. Die vi occurrit *Sagaris* episcopus, Laodiceæ in Phrygia passus, et a nonnullis, forte perperam, S. Pauli Apostoli discipulus creditus. Incertum est, an *Probus*, Cajetæ in Italia cultus, sæculo x Cajetanam, an prioribus temporibus Formianam sedem obtinuerit. De *Renato* Surrentino episcopo, quem suum quoque fuisse Andegavenses contendunt, plura disputavimus, ac in primis prodigiosam illius historiam rejecimus. *Romani* Autissiodorensis in Gallia episcopi obscura fere sunt omnia præter tempus sedis et cultum; neque plura de *Bartio* vel *Barsio* Vasionensi in comitatu Vindausensi præsule, deque *Apollinare* Bituricensi habemus. Ampliorem Syllogen concinnavimus de *Magno* Opitergino, deinde primo Heracleensi in ditione Veneta episcopo. Sæculo xi Herbipoli in Franconia floruit *Adalbero* episcopus, pia munificentia, adversisque pro Ecclesia Dei tempore schismatis fortiter toleratis clarus, ac in castro Tambaco, ubi colitur, mortuus. Ejus Vitam prosaicam, alteramque metricam, et Librum miraculorum recudimus. *Artaldi* quoque, ex Cartusiano Belicensis in Bugesia episcopi, ac denuo Cartusiani, Vitam illustra-

mus. Die vii ex Fastis Habessinîs memoramus *Eumenium*, qui Alexandrinam in Ægypto cathedram septimus tenuisse creditur. Sæculo iv summum Pontificatum non integro anno gessit *Marcus* Papa confessor; cujus sacri corporis Translationes ab Anonymo, verisimiliter synchrono, scriptas, ex Vaticano apographo damus; discussis in Commentario prævio, quæ pro ejusdem possessione extra Romam alii produxerunt. *Palladii*, Mediolanensis Santonum episcopi, cultum, gestaque, non omnia laudanda, collegimus, sanctamque postremam vitæ ipsius periodum exposuimus. Pauciora habemus de *Adelgiso*, Novariensi in ducatu Mediolanensi antistite. Dies v duos exhibet diaconos, *Firmatum* Autissiodorensis in Gallia, et *Meinulphum* Paderbornensem in Westphalia, quorum primus, a S. Placidi Benedictini martyris socio distinguendus, parum notus, fortasse sec. v aut vi floruit; alter sec. ix Budicensis monasterii conditor duas Vitas habet, alteram auctore Sigewardo, alteram Gobelino Persona: ambas damus, amplo Commentario a nobis illustratas. *Helanum* presbyterum in Remensi Galliæ pago memorat dies vi, cujus quoddam vitæ compendium recitamus: *Pipionis* diaconi Belnæ in Vastinensi tractu cultus pariter certus est, sæculum vero, quo vixerit, ignotum, gesta fabulosa.

### EX STATU MONASTICO.

Die v celebres sunt *Placidus*, S. Benedicti discipulus, Sociique, qui Benedictinum Ordinem martyrii laurea sub annum dxi apud Messanam in Sicilia exornarunt. Eorum Acta subleste fidei sunt; quorum quæ Gordianum mentiuntur, primo loco exhibemus, secundo autem, quæ Stephani Anciensis nomen præferunt. Tam hæc, quam illa, uti et alia commentitia instrumenta, diligenter discussimus in Commentario prævio, in quo et *Placidi* sub S. Benedicto monachus probatur, ceteraque ad ejusdem Sociorumque gesta, martyrium ac gloriam posthumam pertinentia prolixè exponuntur. Eodem die referimus elogium *Petri Imolensis*, equitis Hierosolymitani, Florentiæ in Hetruria culti. De *Matthæo* quoque *Manuano*, Ordinis Prædicatorum presbytero, insignis in proximum charitatis viro, ejusdemque cultus progressu ac miraculis Syllogen collegimus. Acta *Yvii*, diaconi Wiltoniæ in Anglia, monachis verisimiliter, non tamen certo Benedictinis, annumerandi, recensem ex Capgravio;



gravio; *Pardulphi* vero Waractensis in Gallia abbatis, anno dccxxxvii defuncti, Vitam a suppare scriptam excudimus ex membranis, præmisso Commentario, in quo etiam ejusdem sacri corporis translationes enarravimus. *Nicetas* sæculo ix in Oriente vir illustris, præfectura Siciliae verisimiliter functus, monachum induit, multaque pro sacrarum imaginum veneratione passus, elogium habet in Menæis Græcis, quod recudimus. Præ reliquis celebris *Bruno*, Cartusiani Ordinis institutor, licet anno mci mortuus, Vitam initio sæculi xvi vetustiore non habet; quam enim primo loco exhibemus, sæculo xii non antiquiorem, ea quoddam elogium potius est, quam Vita; secundo loco datam scripsit Puteanus sæc. xvi; tertio editam, *Surius* ex Puteano et Blömenvenna adornavit. Quam ob rem recurrendum fuit ad alia probæ notæ vetustiora instrumenta, ex iisque amplissimus conficiendus Commentarius, qui gesta illius ab orta usque ad obitum, quantum licuit, chronologicè exponit. Inter cetera in eo operose quoque discussa habes, quæ pro damnati doctoris Parisiensis anastasi asserenda impugnandaque varii produxerunt. Nobis minus difficultatis habere videtur opinio, quæ prodigium illud in privatis ædibus, quam quæ publice in templo factum narrat. Vitis subjecimus Epistolam encyclicam de morte illius e Turritana cartusia scriptam, Titulosque funebres, seu responsa ad illam a compluribus data; ac denique Appendicem de ejusdem gloria posthuma. Die vii Gallia duos alios monachos suppeditat, *Leopardinum*, simul martyrem, Albinaci; et *Augustum* abbatem apud Bituricas. Prioris gemina Acta recensimus, sed intricata, unde illius ætas dubia redditur; ad sæc. vi tamen potius referendus videtur; alter post medium sæc. vi floruit, sed ex solis fere Martyrologiis et Gregorio Taronensi notus est. *Martinum* suum celebrant Hispani Citercienses, primum monasterii Bellifontis, deinde Vallis-paradisi appellati, abbatem; cujus gesta cultumque ex ejusdem Ordinis Annalibus collegimus.

## EX STATU SÆCULARI.

Die v occurrunt *Palmatius*, *Mazentius*, *Constantinus*, *Crescentius*, *Justinus*, *Leander*, *Alexander*, *Soter*, *Ormisda*, *Papirius*, *Constans* et *Jovianus*, Trevisis sub Diocletiano et Maximiano passi, sed, cum pridie in Tyrso et Sociis de Martyribus Trevisis generaliter actum sit, lectore illuc remisso, hic solum quædam de *Palmatii* reliquiis in Bohemiam, ac fortasse etiam in Lusitaniam, translatis meminimus. Die vi ex Martyrologiis recensimus *Marcellum*, *Castum*, *Emilium* et *Saturninum*, fortasse Capuæ in Campania Felici; *Rogatum*, *Saturninum*, *Faustinum* ac *Martiale* in Africa; *Januarium* vero et *Ammonium* forte Romæ, omnes incertis sæculis martyrio coronatos. Nescitur etiam, quo sæculo passus sit *Prudentius*, cultu celebris Besue in Burgundia, quo corpus illius anno dccclxxxiii translatum fuit. Qualiacumque hujus Acta, Translationes ac Miracula sæc. xii a Theobaldo, Besuensi monacho, scripta, ex Labbeo edidimus. *Marcelli* et *Apuleii* marty-

rum, quorum frequens in Mrll. die vii est mentio, Acta prætermisimus, quod ea ex SS. Nerei et Achillei, sanctique Petri Apostoli Actis, S. Lino suppositis, consuta sint. Eos Capmani non recte sibi notos pridem coluere, eorumdemque sacræ reliquiæ ab anno dccclxxiv Placentiæ quiescunt. Celebriores sunt *Sergius* et *Bacchus*, non infimi militaris ordinis viri, in Syria coronati, quorum martyrii adjuncta, insignemque tam in Oriente, quam in Occidente cultum exposuimus Comm. prævio Actis geminis, Latinis scilicet auctoris anonymi, Græcisque Metaphrastis a Lipomano versis Latine. *Quartum* et *Marcellinum*, Capuæ passos, ex solis Mrll. novimus. Ut martyr colitur *Geroldus*, Coloniae Agrippinæ natus, sed, dum sacris peregrinationibus insistit, apud Cremonam in Insubria trucidatus, cujus Vitam, utpote recentiore, prætermisimus; cultum vero Cremonæ, ubi corpus ejus quiescit, Coloniaeque Agrippinæ in templo Societatis Jesu ob depositas in eo insignes reliquias docemus.

## EX SEXU FEMINEO.

Præter *Flaviam* V. M., aliamque *Flaviam* vel *Flavianam* V., de quarum prima simul cum *Placido* Sociique MM., de secunda cum *Firmato* diac. egimus, damus *Peregrinam* V. M. sola sui corporis e Romano S. Priscillæ cœmeterio extracti Labacum in Carnioliam translatione cultuque ibidem notam. *Charitina* V. forte Amisi in Ponto passæ, Acta ex Græcis Metaphrastis Lipomano interprete Latina recitamus; de *Tullia* vero item virgine, Manuascæ in Provincia Galliæ culta, Syllogen historico-criticam. *Galla*, Symmachi consulis filia, illustris viduæ ac sanctimonialis Romæ (non tamen Benedictinæ) elogium ex Gregorio Magno exhibemus, præmissis in Comm., quæ ad ejusdem genus et ab homonymis distinctionem, celebremque iconis Dei Genitricis apparitionem pertinent. *Felicula* V. ab homonymis distinguendæ solum cultum in territorio Antisiodorensi comperimus. *Fides* V. Sociique MM. Agninnenses in Aquitania ampliorem disserendi, cultusque in alias quoque regiones propagati exponendi, materiam dederunt. Subjecimus Acta, quorum vetustatem fidemque tuetur, adjecimusque *Fidis* Translationem, a binis Anonymis stilo ligato solutoque scriptam, ac Miracula, auctore Bernardo, Andegavensis scholæ magistro. De *Erotoide* M. nihil præter inscriptam Mrll. memoriam invenimus; quæ de *Enimia* V. abbatissæ in diœcesi Mimatensi regis natalibus gestisque narratur, plane incomperta sunt, ac certus ejus est cultus; nec satis etiam constat de gestis *Epiphaniæ* V. sanctimonialis Ticini in Insubria. Sublestæ pariter fidei sunt supposititiæque Acta *Justine* V. M. Pataviæ; cultus vero celeberrimus, maxime Patavii, ubi ejus corpus honoratur in templo, de quo pluribus egimus. *Juliam* V. M. in Syria ex Mrll. memoramus; *Osithæ* denique vel *Osgithæ* V. M. sanctimonialis in Anglia Acta ex Surio maxime dubiæ fidei sunt, ætas incerta, cultus tamen olim insignis in Anglia fuit.